DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE PASSIONIS HYSTERICÆ
HISTORIA, CAUSA, SEDE ET TRACTATIONE

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ÉX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI-LUDOVICI KESTELOOT,

MED. CHIR. ART. OBS. DOCT. IN FACULT. MED. PROFES. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FAÇULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIME OBTINENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Joannes Livinus Derudder,

GADAVENSIS,

AD DIEM 8 AUGUSTI 1826 HORA DECIMA.

GANDÆ,

TYPIS HIPP. VANDEKERCKHOVE FILII, IN VIA KORTE-RIDDERS. N.° 10.

1826.

Patri optimo

Lucae Derudder,

Avunculo amantissimo

Petro Vercruyse,

Ut pietatis & gratitudinis pignus

Has suas studii primitias
summa cum observantia.

D. D. D.

Auctor,
J. L. Derudder.

Mulier propter solum uterum est id quod est.

VAN HELMONT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

DE PASSIONE HYSTERICA.

Legibus academicis satisfacere et doctoratûs gradum in scientiâ medicâ obtinere cupientes, diu quæsivimus materiam, de qua pro viribus nostris tractare possemus; omnibus rite perpensis, non inutile duximus conscribere dissertationem inauguralem de illo systematis nervosi morbo qui passio hysterica vocatur, quique satis frequenter obvius, nullo periculo plerumque stipatus, tamen ratione pertinaciæ et frequentiæ feminas interdum tantum vexare solet, ut lucida sanitatis intervalla non turbet modo, sed et aliorum morborum artis auxiliis non semper curabilium, vel saltem levandorum, curationem inanem reddat et maximè tædiosam.

Morbus de quo tractabitur, audit *passio hysterica, hysteria, malum hystericum, uteri suffocatio;* hujus sedem in utero esse veteres medici (*Astruc, Maladies des femmes, t. IV. Sydenham,*

opera universa. Lugd. Bat., 1721, in-8.º) credebant, ducti phænomenis quibusdam sub ejusdem accessu apparentibus; at vero docuit neotericorum observatio hysteriam interdum inter nervorum morbos id circo referendam esse, quia hujus systematis organa centralia inprimis patiuntur, sicuti infra fusius patebit.

In nostra commentatione conscribenda sequentem ordinem servare statuimus.

1.º Morbi divisionem et historiam proponemus.

2.º Ejusdem diagnosin, causas cum prædisponentes tum occasionales trademus. 3.º Agetur de prognosi. 4.º Tandem subnectetur ægrotationis cura radicalis et prophylactica.

Passio hysterica commodè dividi potest in *primariam* et *secundariam;* hæc vocatur, quæ aliis morbis feminarum jam præsentibus supervenit, ut in uteri affectionibus variis, nempè phlegmasiis chronicis, squirro, cancro, phthysi pulmonali non raró accidit; illa feminas, etiam optima valitudine fruentes, aggreditur.

MORBI HISTORIA.

II.

Si vehementiam symptomatum sub ipso accessu hysteriæ interdum se manifestantium attentè consideremus, facilè sequitur ipsam non semper eodem modo sævire, quin contra diversos gradus

offerre, (*Louyer Villarmay, Recher. sur l'hyp. et l'hystérie. Paris*, 1803. *Item, Traité des maladies nerveuses. Paris*, 1817) ut nunc mitior nunc verò gravior morbus observetur.

Quidquid sit, intermittens est morbus, plerumque subito invadit, alias quoque accessum antëeunt prodroma quædam symptomata, ut, faciei rubor vel pallor, oscitatio, inquietudo animi, lassitudo generalis, nec non spasmi sensatio ingrata in genitalibus percepta.

Dum paroxysmus levior ingruit, de sequentibus femina queritur; de sensu ingrato indicibili ad regionem uteri percepto, cum sensatione globuli ex hypogastro ascendentis, per abdomen et pectus ad collum usque extensa, conjuncto, ubi vehemens constrictio metum suffocationis injiciens ægram torquet; hisce sese adjungunt nunc frigus glaciale, nunc calor acris; abdominis tensio et contractio tantæ, ac si costæ spuriæ cingulo ferreo constringerentur; dolor fixus circumscriptusque, acerbus, nunc alterutrum capitis, pectoris, vel abdominis latus occupat, clavis hysterica vocatus; collum et abdomen tument, facies alternè rubet palletque, frigent artus; cor tumultuose palpitat, pulsus in carpo parvi et irregulares, at in temporibus et facie anteriori colli fortes, magni et frequentes observantur; spiritus celer et anxius, interdum sonorus; urinæ lympidæ, aquosæ excretio parca, dolorifica; vomitus sitisque, artuum superiorum et inferiorum convulsiones cum leviore maxillarum tetano conjunctæ; sudores inæquales et copiosi artus, frontem, vel pectus inprimis inundant, quibus aurium su-

surrus, vertigines, insomnia et cephalalgia, capitisquæ ardor sese adjungunt.

Majore vi feminam adoriuntur symptomata accessum graviorem constituentia, quæ simul majore cum velocitate sibi succedunt; igitur sub ipso initio syncope incompleta, delirium, abdominis constrictio major; palpitationes cordis vehementes; facies, collum et pectus summoperè tument, faciei color ruber, cæruleus, pallidissimus; maxillarum adductio deglutitionem impossibilem reddens maxima, salivæ et spumæ ex ore excretio parca; laryngis constrictio dolorifica, spiritus difficilis suffocationis metu stipatus; motus convulsivi artuum, opisthotonos et emprostotonos intermittentes; ægra sui nescia pectus percutit, manus mordet linguamque, assistentibus injuriam inferre conatur; adsunt præterea stridor dentium, frequens oscitatio, convulsiones musculorum faciei, trismus, singultus, sibilus, cantus, risus et illacrymatio velociter succedentia præter voluntatis imperium; delirium continuum vel intermittens; quæ omnia alterum formant morbi gradum, qui præcedenti major est.

Ubi ad summum fastigium pervenit hysteriæ accessus, immanes convulsiones, spiritus summa difficultas, sanguinis in cerebro congestionis et incipientis apoplexiæ symptomata apparent; vix pulsant arteriæ; cutis friget palletque et totus habitus externus ægræ imaginem mortis dubiæ refert; subinde syncopes protractæ symptomata observantur; alias materies mucosa variæ indolis e vagina excernitur.

Finem accessus indicant symptomatum remissio, sternutatio, oscitatio, pandiculatio, borborygmi, excretiones vaginales variæ, et præsertim urinæ copiosæ, aquosæ, limpidæ emissio; dum ad se redit ægra, paroxysmo finito, queritur de cephalalgiâ, siti, lassitudine et ciborum fastidio, quod interdum per plures dies durat.

DIAGNOSIS.

IV.

Hystericæ passionis accessus distinguendus est ab insultu febris intermittentis, epileptico, cataleptico et nymphomaniaco; distinguitur a febris intermittentis paroxysmo, quem aliquando simulat, regulari stadiorum frigoris, caloris et sudoris successu, nec non urinæ qualitatibus, quæ in hoc morbo sub accessu magis minusvè tincta, eoque finito, sedimentosa observatur, et sedimentum lateritium præbet; dum post insultum hystericum lympida aquosaque est; etiam in paroxysmo febrili desunt globulus et clavis hysterica, phœnomena morbosa nullo ordine successionis servato procedunt; paroxysmi intermittentis sæpè datis intervallis, quin imo eadem hora redire solent; hysteria singulis diei horis sæpèque eodem die ægram aggreditur, nec evacuationibus criticis

a natura excitatis curatur, dum tamen intermittentes, præsertim vernales, crebro vis medicatricis influxu egregiè jugulantur.

Ab insultu epileptico interstinguitur morbus noster, quia prioris stante accessu, omnes sensus in et externi sunt suspensi, sensilitas nervosa adeò imminuta est, ut etiam acerrimorum stimulorum actionem non percipiant epileptici; absunt et in epilepsiâ symptomata pathognomica quæ leviori etiam hysteriæ gradui familiaria observantur; porro aura epileptica discrimen evidens inter utramque affectionem ponit; denique differunt hæ affectiones a se invicem ratione sedis, epilepsia enim semper latet in encephalo, hystericæ passionis sedes nunc in utero, nunc autem in encephalo quærenda est.

V.

Cum catalepsiâ nequit confundi uteri suffocatio; in illa enim sensuum in et externorum suspensio, et motuum convulsivorum absentia id vetant; præterea artus catalepticorum servant situm quem assistentium quivis aut sors dederit, quod de passione hystericâ neutiquam valet; simili modo ratiocinari licet circà nymphomaniam, quæ delirium est a vehementi coëundi desiderio natum, motubusque convulsivis corporis ad hoc explendum stipatur; unde semper ad individuos sexûs nobilioris refertur ejusmodi mentis alienatio, quæ rarius etiam observatur.

VI.

Ætiologia. Passionis hystericæ primariæ causæ, ut illæ complurimarum aliarum affectionum distingui possunt in prædisponentes et occasionales; inter priores sine dubio sexus primum ordinem tenet quocirca notandum feminas ratione delicatioris structuræ, majoris sensilitatis et apparatus genitalis in reliquos partes corporis influxus inprimis (etsi ante pubertatem eas rarius invadat) ad hanc prædisponi; non desunt auctores medici, maximæ notæ practici, contendentes eamdem mares sub nomine hypocondriasis (*Sydenham opus citat*) etiam aggredi; verum qui has ægritudines inter se comparaverit, notabilem inter utramque differentiam pro symptomatibus non modo, sed etiam pro sede facile inveniet. Reliquæ causæ prædisponentes sunt : temperamentum nervosum, educatio mollis, potuum et lotionum tepidorum odoramentorumque abusus, vita umbratilis, somnus in lecto calido justo magis protractus, etc.

VII.

Quod ad causas occasionales attinet, hysteriam primariam producere valentes, eæ vel in cerebrum vel in uterum directè agunt, vel in alias partes summum cum encephalo concensum alentes :

prioribus anumerantur, animi pathemata, inter quæ ira, terror, tristitia et amor infelix primum, ratione frequentiæ, ordinem tenent; jungi quoque possunt operum eroticorum lectitatio, imaginatio fervida, zelotypia, insolatio, odores graves, fœtidi, plethora neglecta, graviditasque; neque omittantur coïtûs abusus ejusque abstinentia, manustupratio, mensium suppressio vel retardatio, fluor albus, ovariorum nec non uteri morbi organici.

Ad posteriores referri possunt: spirituosorum et condimentorum, purgantium et vomitoriorum abusus, vermes in ventriculo aut intestinis nidulantes. Hysteriam secundariam pariunt omnes reliquarum partium morbi chronici, inprimis phlegmasiæ chronicæ primarum viarum, vel apparatus respiratorii, quales sunt : gastritides et gastro-enteritides, chronicæ phlegmasiæ ejusdem indolis in pulmonibus obviæ, hydrops pectoris et abdominis, cordis et ejus majorum vasorum affectiones organicæ variæ.

VIII.

Si jam ad causarum prægressarum indolem, symptomata tempore accessûs observabilia, et medicorum optimæ notæ observationes attentionem nostram convertamus, probabile nobis videtur morbi sedem nunc in ovariis vel in utero, nunc verò in apparatu encephalo-spinali quærendam esse, (*Abrégé du dictionnaire des sciences médicales, pag.* 403, hysterie) etenim ab una parte accessus hys-

tericos inducunt tales efficientiæ in cerebrum immediatè agentes quarum non paucæ supra fuere notatæ; monstrant id præterea symptomata sese tunc manifestantia; in aliis casibus non raris uterum inprimis pati causæ in ipsum effectus suos exerentes, cadaverum sectiones et ipsa phænomena, stante paroxysmo, in genitalibus obvia facilè comprobant.

Unde tum concludere legitimè posse credimus ratione causæ hujusque applicationis, affectionem hystericam nunc in encephalo uterum secum trahente, nunc in utero ipsum encephalum sympathicè disturbante pro re nata interdum latere.

Hoffmani de morbi hysterici vera indole, sede, origine et causa. Halœ 1733-40.

PROGNOSIS.

IX.

Prognosis passionis hystericæ generatim sumtæ mala non censetur; (*Louyer Villarmay, opus citat:*) etenim ubi levis est, sponte curatur sæpè, vel artis auxiliis facile tollitur; variat tamen 1.° ratione causæ; 2.° accessuum frequentiæ et vehementiæ; 3° pertinaciæ morbi; 4.° pro ut ipse primarius sit vel secundarius; 5.° pro symptomatibus quæ sub insultu hysterico apparent. Periculum nullum prædicat ægritudo, ubi causa eam inducens tolli facilè

potest, vel consensualiter aut in uterum aut in cerebrum agit; incertum est præsagium, ubi affectio organica chronica insultui hysterico primario ansam præbens encephalum, aut uterum, aut ovaria aggreditur; tunc enim omnem curationem respuit. Si ejusdem accessus frequentiores et vehementiores ægram afficiunt, ominosa fit prognosis, quia exinde causæ vis magna deducitur, et irritationem in alterutra vel utraque sede non spernendam adesse indicatur; adde quod in artuum paralysin, convulsiones, mentisque imbecillitatem non raró transeat : simili modo ratiocinari licet de ægritudinis nostræ pertinaciâ, propterea quod prognosis morborum omnibus artiis auxiliis resistentium faustam fuisse raró observetur, illiusque pervicacia plerumque accuset vitium organicum in encephalo vel genitalibus internis hærens. Primarius morbus, ut ex supra dictis facilè sequitur, sæpè curatur; secundarius autem ferè nunquam, sed sæpius in mortem desinit; ratio in promptu est, nam ubi phlegmasiis chronicis pulmonum ventriculi, aut intestinorum, læsionibus organicis cordis ejusque majorum vasorum, vel tandem hydrothoraci, quæ totidem affectiones morbosæ per se lethales sunt, supervenit, frustra ipsius curandi scopo remedia tentantur.

Inter symptomata tempore paroxysmi hysterici obvia comatosus status, convulsiones, tætanos, trismus, vel syncope protracta maximum periculum ominantur; satis frequens docet observatio, ubi insultus hysterici vehementia tanta est, ægras tandem

aliquando è medio tolli, vel saltem sequelas ex ea oriundas, paralysin putà, mentis alienationem, surditatem, vel tremorem convulsivum etiam optimis adhibitis remediis resistere.

Præter circumstantias supra allatas, sunt porro quædam notanda quæ gravioris etiam passionis hystericæ primariæ prognosin minus infaustam reddunt, scilicet ætas et constitutio ægræ robusta sanaque; quod ad ætatem attinet, quo magis ea recedit ab epocha critica, eo magis affulget spes sanitatis recuperandæ, præsertim dum morbus mensium jam eruptorum suppressionem accusat, et hæc a brevi temporis spatio duntaxat fuit oborta; idem valet ubi morbus subjectum irritabile nervosi temperamenti adoritur, quia temporis lapsu, sensilitate morbida decrescente, ipsi insultus rariores invadunt, eorumque vehementià adeo diminuitur, ut tandem plane cessent. Nec semper tristis erit prognosis hysteriæ primariæ, quun ægrotans constitutione bonâ firmâque gaudeat et nunc primum ipsa patiatur, siquidem, nullo stante vitio organico, remediis adhibitis tunc facilius tollatur, ejus relapsus rarius accidant et facile possint præcaveri.

MORBI CURATIO.

X.

Passionis hystericæ primariæ cura duplex est, radicalis et prophylactica; prior duplicem indicationem semper statuit tempore paroxysmi hysterici scilicet, et extra paroxysmum adimplendam; (*Villarmay, opus citat*) porro qui morbi hujus tractationem in se suscipit medicus, semper ante omnia tenetur habere rationem causæ quæ ipsam inducit; quare hoc ritè perpenso, ubi accedit ad ægram insultu hysterico gravi jam dolentem, sequentia auxilia comendabit; nempè, ut ægra decumbat supina vel in latere dextro, capite elevato, in loco spatioso quin etiam aëre liberiore; ut thoracis tunica detrahatur, solvantur periscelides et omnes tollantur causæ circuitum sanguinis et respirationem impedire valentes; toti corporis superficiei adhibeantur frictiones, naribus hysteria affectæ prudenter admoveantur salia volatilia excitantia, inter quæ spiritus cornû-cervi usti sæpè prodest; aliquot guttulæ ætheris vel liquoris anodyni Hoffmani uncia una aquæ et saccharo mixtæ etiam juvant; pergente insultu, pediluvia ex infuso florum camomillæ romanæ calida atque synapisata negligenda non sunt; cæterum rarò prosunt narcotica, præcipue dum subjectum plethoricum est, plethora vel

causa quædam vehementer excitans morbum induxit; idem valet de suffitu quovis aromatico genitalibus aut aliis corporis regionibus admoto.

Si insultus hystericus ingravescat, atque ita convulsiones artuum, emprostothonos vel opistothonos oriantur, aut status comatosus in apoplexiam transiturus sese manifestet, tunc constitutionis ratione habita, ad venæsectionem generalem vel localem confugere oportet, ne lethalis in encephalo congestio sanguinis nascatur, post quæ vesicantia femoribus aut nuchæ admota prodesse valent.

XI.

Finito paroxysmo, tunc alterum indicationis punctum est ægritudinem curare ejusque relapsum præcavere; in priore casu respicere attente ad causam oportet quæ hanc affectionem induxit; hinc varia admodum instituatur medela : dum igitur status plethoricus, mensium supressio vel retardatio accusatur, venæ sectio generalis aut localis pedi, alterutris temporibus, ano, vel genitalibus adhibita optimum præstat effectum; sit diæta tenuis, corpusque in aere liberiore exerceat quotidie femina; dum ex imaginatione fervida, zelotypia, aut simili causâ nascitur, ea sedulo vitanda est, et animi oblectamentis ab eadem mentem revocantibus temperanda; ubi morbus ratione debilitatis, vel summæ

mobilitatis organorum centralium systematis nervosi ad relapsum pronus est, nec ullibi organum specialiter patitur, conveniunt nervina antispasmodica et narcotica, è quibus radicem valerianæ sylvestris, extractum hyosciami nigri, vel cicutæ seligere oportet.

E manustupratione nata iisdem curatur remediis, quibus sequelæ hujus abominandi vitii tolluntur, modo nimios progressus non fecerint; quæ abstinentiæ coïtûs tamquam causæ adscribitur, matrimonio solo tolli potest.

Quod ad morbos chronicos encephali vel uteri attinet, quibus atonia vicerum abdominalium paritur, hysteriam producere solitos, in hoc casu cura merè est palliativa, siquidem causa tolli nequeat; idcirco tractationem ita dirigere necesse est, ut morbus organicus non exacerbetur, et simul symptomatibus magis urgentibus obviam eatur; in quem scopum clysmata antispasmodica, narcotica sine stimulo, regimen conveniens hic veniunt notanda.

XII.

Dum causa hysteriæ primariæ in ventriculo vel intestinis latet, sedulo natura ejus est inquirenda; itaque vermibus ibi hærentibus, vel fomite latente in ventriculo vel intestinis, in priore casu antiverminosa salutares præstant effectus, in posteriore vero purgantia leniora, ut manna, pulpa cassiæ, vel tamarindorum, et

ipsum rheum; denique ubi e vomitoriorum vel purgantium diuturno abusu morbus ortum ducit suum, ritè inquirendum est in intestinorum statum morbosum, et si atonia adsit, radicis columbæ decoctum antispasmodicis junctum per aliquot dies, imo hebdomadas adhibitum curam absolvet; sit porro regimen eupeptum, e cibo facilis concoctionis compositum, nec vino modicè assumendo parcendum est. Ægritudine sublata, caveat convalescens ab omnibus causis quæ illam producere queunt, etiam sedulo vitet animi pathemata, excessum in cibis præsertim flatulentis vel fumo et sale induratis, potulenta tepida ut infusa theæ et coffeæ, spirituosorum abusum, vel alimenta nimis condita; cæterum ita se gerat, ut in animi oblectamentis vel negotiis suis remedia inveniat morbi relapsum præcaventia, et vitam, quantum fieri potest, reddentia tranquillam et æquabilem.

XIII.

Ex prægressis jam facilè intelligitur hysteriam secundariam prorsus incurabilem esse æstimandam, quum superveniat talibus ægritudinibus, quæ omnia artis auxilia longè superant; merè palliativa est illius tractatio, atque ibi notanda veniunt eadem præcepta quæ supra (XI) tradita fuere; idcirco commentationi nostræ finem inponimus, sperantes fore ut, quæ minus attentè tractata fuere, Lector benevolus animo indulgenti condonare velit.

TANTUM.

POSITIONES.

I.

Vis medica substantiarum, quæ in futurum usum ut medicamenta decantantur, e compositione earumdem chemica prædivinari nequit.

II.

Virium medicamentorum cognitio solis observatione et experientia nititur; ergo vomitoria et purgantia sunt maximè necessaria.

III.

Cortex peruvianus non est specificum remedium contra febres intermittentes.

IV.

Quosvis morbos sanare velle, periculosum est.

V.

Qui motus criticos in morbis negant medici, observationem et eatenus unum e præcipuis scientiæ medicæ fulcris respuunt.

VI.

Omnis phlegmasia debilitantibus non curatur.

Vidi et nihil reperi quod art. 56 *legis Academ. adversetur.*

F. E. VERBEECK,

F. m. h. t. Dec.